

De præda facta ante Utinum.

Anno prædicto, die VIII. Octobris, totus exercitus Domini Comitis, ignorantibus Civitatensibus, ivit ante Utinum; eo quia fovebant, & inducebant aliqui Dominum Patriarcham ad faciendam verram Domino Comiti cum quibusdam Castellaniis: & subito facta insultu ad omnes portas, animalia non modica acceperunt, & etiam homines ceperunt quamplures.

De adventu Babanich.

Dein anno prædicto, die X. Octobris, D. Juan Babanich venit in auxilium Domini Comitis: & steterunt ante Utinum per plures dies, devastando villas circumadjacentes, & totaliter destruentes.

De Castro de Pyris.

Eodem anno, quia D. Federicus de Pyris & de Susanis adjuvabat Dominum Patriarcham, & in Utino factus fuerat Capitanus; Dominus Comes incontinenti ivit ante Castrum de Pyris, & ipsum die II. Novembris cepit, & funditus diruit. Postea ante Susanis equitavit. Et quia D. Federicus fuerat vulneratus, & jacebat ad mortem, tradidit sibi locum, quod commissum fuit D. Wicardo de Petra-pilosa: sed postea fuit sibi restitutum cum magna securitate, quod non faceret contra Comitem.

De concordia inter Dominum Patriarcham, & Comitem.

Paucis diebus elapsis, facta fuit concordia inter eos; ita quod Dominus Comes factus fuit Capitanus per V. annos, & omnes redditus Patriarchatus & garritum debere habebat: ita quod Patriarcha nihil habebat agere, nisi accipere a Domino Comite III. millia Marcarum in determinatis taxis. Et sic omnes juraverunt sub Comite, tanquam sub Capitaneo: & ne possent Castellani retro gracidare, omnium filios accepit obsides, & eos duxit Goriciam.

Anno M. CCC. XIV. orta iterum discordia inter Dominum Patriarcham, & Comitem; eo quia Dominus Comes detinebat omnia loca, seu Fortalitia Ecclesiae Aquilegiensis: quod nollebat Dominus Patriarcha, nec esse in pactis habitis inter eos dicebat. Finaliter post multa tractata, & consilia super hoc habita; convenerunt ipsi Dominus Patriarcha, & Comes die XII. exeunte Septembri, in Pratis inter Ramanzachum, & Grillonum apud Turrim, in hoc pæctum, & concordiam. Videbilet quod a proximo futuro Festo Purificationis B. Mariae in antea, Dominus Comes debebat restituere Castra, que detinebat; & Dominus Patriarcha debebat habere Garritum, & omnes redditus & proventus in se, sicut unquam habuit aliquis Patriarcha. Et tunc ibidem fecit eum Capitanum ad vitam suam, dando sibi pro salario centum Marcas in Mense. Et sic facta bona concordia inter eos, Dominus Comes eodem die arripuit iter cum magno apparatu equitum in auxilium Ducis Austriae, qui volebat obtinere Imperium contra Regem Bohemiae; & dicebatur, quod quicumque prævaleret in bello inter eos faciendo, debebat esse Imperator: quod bellum tamen non fecerunt. Et erat ibi tanta sterilitas, quod exercitus Domini Comitis septem diebus nihil comedit, nisi rapas: rediit enim Dominus Comes.....

De morte Domini Ottoboni Patriarchæ.

Anno Domini M. CCC. XIV. Rev. D. Ottobonus Patriarcha die X. exeunte Septembri, arripuit

iter ad Rev. D. Lucham de Flesch Januensem Cardinalem, vacante Sede Papali per mortem Sanctissimi Papæ Clementis; eo quia dictus Dominus Cardinalis citavit eum ad se: unde per nonnullos sperabatur, quod dictum Dominum Patriarcham crearent Papam. Quod minime factum est. Quin ipso inde revertente, gravi infirmitate detentus obiit anno Domini M. CCC. XV. die XIII. Januarii, in Comitatu Placentiæ in Castro de Arquar: & ibidem fuit sepultus.

De morte D. Petri Prepositi, & electione D. Varneri.

Anno Domini M. CCC. XIV. obiit Vener. Vir D. Petrus de Piperno, Præpositus Ecclesiæ Civitatis, die IV. Martii; a quo Capitulum habebat ad Fermam Præposituram & Præbendam Civitatis pro CCC. Florensis solvendis eidem annuatim in Nativitate Domini Venetiis, vel Paduæ boni auri. Eo vero mortuo, citatis & vocatis, qui voluerunt, debuerunt, & potuerunt commode. Interea die X. intrante Julio Decanus, & Capitulum convenerunt ad electionem de Præposito, celebrandam per formam scrutinii: & fuerunt electi Domini, Presbyter Varnerus de Gallano, & Girardinus nepos Domini Patriarchæ, non in sacris Ordinibus constitutus: habens voces, tot unus, quot alter, Canonici Civitatenses. Demum mortuo Domino Patriarcha, ut dictum est, D. Girardino existente cum eo, D. Guarnerius adiit Dominum Decanum & Capitulum Aquilegiense, supplicans quod confirmare dignaretur electionem de eo factam. Qui volentes per formam juris procedere, ipsum D. Girardinum per litteras & eorum Nuncium juratum citaverunt, necnon per edictum tam in Ecclesia Aquilegiensi, quam Civitatensi. Qui D. Girardinus ultra terminum diutius expectatus, & cum ipse nec aliquis Procurator pro eo compareret, ad objiciendum contra D. Varnerum, vel electionem prædicti Domini; Decanus, & Capitulum Aquilegiense, ad quos vacante Sede confirmatione pertinebat, invenientes electionem factam de D. Varnero canonice celebratam, & ex parte Dominorum Bernardi Decani & totius Capituli, tam illorum qui elegerunt D. Girardinum, quam D. Varnerum, precibus inclinati: D. Varnerum in Præpositum Civitatis Ecclesiæ gratiose & benevolè confirmaverunt die secundo Aprilis anno Domini M. CCC. XV. Qui quidem D. Varnerus adiit Civitatem, & bene receptus a Clero & populo, die V. Aprilis fuit installatus per D. Odolricum de Strasoldo, qui fuerat datus ad hoc Nuncius per Capitulum Aquilegiense.

De electione D. Gilonis in Patriarcham.

Anno Domini M. CCC. XV. die Dominico, videlicet Reminiscente, XVI. intrante Februario, mortuo D. Ottobono Patriarcha, convenit Capitulum Aquilegiense ad electionem de Patriarcha futuro per formam Compromissi celebrandam: & compromiserunt in D. Guillelmum Decanum Aquilegiensem, & DD. Ludovicum & Philipponum Canonicos Aquilegienses. Qui unanimiter, & concorditer elegerunt D. Gilonem, eorum Archidiacnum, & Canonicum, in Patriarcham, Dominum, & Pastorem: qui arripuit iter ad Curiam pro confirmatione obtainenda die XIV. intrante Aprili anno prædicto.